(21)

DE

RHEUMARTHROSI ACUTA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT
SUMMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE X. M. AUGUSTI A. MDCCCLXI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUSTAVUS ADOLPHUS PREYSS
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:
E. DAVIDIS, MED. ET CHIR. DR.
O. WITTE, MED. ET CHIR. DR.
I. PUELLEN, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

PARENTUM MANIBUS

HASCE PAGELLAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

DE
RHEUMARTHROSI ACUTA.

Nullius fere morbi nomen nostra aetate inveniri, quocum tam incerta notio de vera aegritudinis natura et ratione processus coniungatur, quam cum nomine rheumatismi, tanto magis mirandum est, nobis reputantibus, hunc morbum fortasse in antiquissimis nobis traditis numerandum esse.

Attamen concedendum est, viros doctos hanc quoque in partem multum iam praestitisse. Priori enim tempore, immo usque ad finem saeculi praeteriti voce rheumatismi omnes, etiam diversissimis causis exortae affectiones partium magis externarum dolorosae designabantur, quae characterem habebant trahentem, lacerantem. Sic dolores neuralgici cuiusvis generis atque venarum inflammationes similes dolores excitantes, phlebitis et periphlebitis, adeoque nervorum musculorumque dolores ex locali pressu vel communi corporis aegrotatione, sicuti e syphilide, intoxicatione saturnina aliisque nati, in unam coniiciebantur categoriam. Vulgaris

enim sententia, rheumatismum modo constare in quorundam acrium praesentia in corpore, quae materia rheumatica appellata deminuta cutis secretione colligi putabantur. Recentioribus demum et recentissimis temporibus ambitus vocis rheumatismi angustioribus finibus circumscribendi initium factum est. Atque imprimis hoc loco Sydenham et Cullin memorandi sunt, cum lucidissime demonstraverint, quomodo morbus ille ab arthritide differat. Eodem tempore studio morbi naturam penitus cognoscendi diversissimas de illius origine hypotheses in lucem prolatas esse haud mirandum est. Cum vero specialem, quamvis saepius occurrentem rheumatismi formam describere in animo mihi sit, omnes illas hypotheses, praesertim cum probabilem quaestionis explicationem nondum attulerint, enumerare ab hoc loco alienum videtur. Meum modo est imaginem morbi quam maxime exactam exhibere, quatenus is quidem nobis satis cognitus est. Quod Tu, Lector Benevole, respicias, quaeso, non immemor dicti illius: *prima sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere.*

ANATOMIA PATHOLOGICA.

Quod primum ad mutationes universales pertinet, multae hypotheses ex ipsa hac re exstiterunt, quod illae admodum incertae et variae sunt.

Nam etiamsi Fuller nonnullis in casibus permagnam acidi lactici quantitatem in sanguine inveniebat, unde deminutam illius secretionem per cutem procreare aegrotationem concludebat, tamen alii, inter quos praecipue scriptores Francogallici (Bouchardat, Bequerel) fibrinum haud parum in sanguine auctum reperiebant, quam auctionem commutationem in rheumatismo principalem iudicabant, non reputantes, idem symptoma in permultis aliis morbis inflammatoriis inveniri. Aliae res haud frequentes (urea, Lebert) minoris etiam momenti pathognomonici esse videantur.

Multo maioris ponderis magisque constantes sunt mutationes locales, etsi eaedem nondum ad morbum satis illustrandum sufficiunt. Tumori enim articulationum, fluctuationi, quae interdum in eis sentiri potest, paene semper iniectio quaedam et hyperaemia condylorum atque cartilaginum, sicuti membranae synovialis, capsulae, ligamentorum telaeque cellulosae finitimae respondent, saepe cum aucta synovia et excretione exsudati fibrinosi coniunctae. Ubi talis hyperaemia non

inveniatur, id etiam respiciendum est, non quamque hyperaemiam, quae in vivis constiterat, etiam post mortem adhuc conspicuam esse debere.

Aucta synovia fere constanter in casibus acutis corpuscula puris inveniuntur, uti etiam condyli interdum cariose degenerati sunt, quin quidem inclinatio ad abscessus formandos exstare videatur. Quod imprimis accidere solet, cum morbus longum per tempus duravit, ubi cartilagines ipsaeque epiphyses plane destructae repertae sunt. Insuper mutationes afferre licet, quae in corde complicationibus frequentissimis efficiuntur, sed id ad specialem horum morborum descriptionem pertinet.

CAUSAE.

Aetiologia rheumarthrosis acutae in universum magna laborat obscuritate. Perfrictio certe plurimis in casibus causa praecipua est, nam partim morbus ad talem originem crebro revocari potest, partim est comprobatum, in regionibus humidis atque vicissitudini tempestatis maxime expositis hunc morbum frequentissime occurrere, cum zona frigida et calida eo magis vacent. Praeterea huc spectant occupationes, quae frequentem

tempestatis vicissitudinem cum virium contentione secum ferunt. Aliquando sane causa utique in indole quadam praedisponente inest, quoniam perfrictionem antegressam esse non patet. Quae dispositio, hereditaria ea quidem secundum Fullerum, nulla alia ratione quam perfrictione saepius manifestari videtur (Vogel).

In universum morbus satis frequens est et quamque aetatem sexumque petit, sed praecipue aetatem iuvenilem atque virilem infestari, infantes vero atque senes fere omnino immunes esse ex tabulis statisticis cognovimus. Masculinum etiam genus plus feminino ad hunc morbum praedispositum medici Francogollici putant. Neque parvi momenti esse censeo praedispositionem illam, quae prius superata rheumarthrosi datur. Lebert quadraginta duos inter centenos iam prius eodem morbo affectos invenit, immo nonnullos iam bis, ter, quater, septies eodem morbo tentatos.

Fortasse talis praedispositio ab residua medullae spinalis irritabilitate maiore repeti potest (Canstatt).

SYMPTOMATA ET DECURSUS.

Prodromorum stadium nonnunquam animadvertitur, ubi patientes rigiditatem trahentesque et lancinantes dolores articulorum et horripilationes cum subsequente calore ardente queri solent. Pulsus fit plenus ac frequentior. Facies atque imprimis lingua rubefiunt acceduntque capitis dolores. Sitis valde augescit, dum urinae secretio imminuitur et urina sedimentum salium uricorum abundantissimum deiicit. Hoc tamen stadium levioribus in casibus deest, ita ut ex eo praesente concludere liceat, quanta sit intensitas morbi quotque artus sint affecti.

Initium morbus capere solet a vehementi horripilatione, quam febris satis intensa confestim sequitur, neque multo post articulorum intumescentia. Duo autem symptomatum genera discernenda sunt: symptomata localia et universalia.

Symptomata localia in articulis et eorum confinio sedent. Vel una tantum articulatio afficitur, vel plures. Si plures articuli afficiuntur, numerus saepe paullatim augetur et morbus alium ex alio corripit, aut crebrius in duobus simul progreditur. Hic illud est notabile, frequenter affectionem articuli alicuius remitti

et recens correpti intendi, ita ut morbus sensim sensimque per omnes corporis partes pervagetur. Tunc vero non semel tantum singuli articuli petuntur, sed morbus interdum totum suum orbem identidem emetitur, quod idem in aliis morbis, veluti in erysipelate, videre licet.

De vulgari autem morbi sede atque initio notandum est, maiores articulos maxime ad eum dispositos esse et inferioris quidem corporis dimidii articulos in universum prius affici quam superioris. Lebert eum frequentiae ordinem statuit: articulationem genu, manus, pedis, humeri, cubiti, coxae. Minores articuli digitorum manus et pedis raro, rarius etiam vertebrarum hoc morbo implicantur. Neque prorsus defuit in symphysi sacroiliaca et articulatione sternoclaviculari.

Ubi unus tantum articulus correptus est, etiam ibi dolor morbo decurrente non in uno eodemque loco permanet, sed ab alio articulo in alium transsilit. Eundem articulum pluribus in recidivis semper rursus atque unice affectum esse rarius observatum est.

Transeundum autem est ad signa explicanda, quae articuli edunt. Aegrotus ante omnia de doloribus conqueritur. Dolores vero sunt duplicis generis, aut obtusi, tendentes, trahentes, qui valde constantes sunt atque lente progrediuntur; aut pungentes, terebrantes,

dilaniantes, sed saepius intermittentes et dein rursus exacerbescentes, quod posterius praecipue noctu accidit.

Tales dolores situm aegroti quietissimum postulant, cum omni motu sive activo sive passivo haud parum augeantur atque etiam disparentes resuscitentur. Tanta adeo sensibilitas fieri potest, ut tremor, quem homines in conclavi euntes commovent, patienti summos dolores afferat. Quare talem corporis positionem tenere student, qua quam plurimi musculi plane relaxantur atque ne levissime quidem sese movere audent. Cuius quidem rei posterioris etiam alia causa gravis est. Nam saepissime non solum articulatio ipsa est dolorum sedes, verum etiam proximi musculi atque tendinum vaginae, cum valde sint inflammata, magnopere dolent.

Alterum symptoma principale est articulorum affectorum tumor, qui ex duabus causis prodire potest. Primum enim proficisci potest ab aucto contento capsulae synovialis, adiuncta hyperaemia condylorum membranaeque synovialis, quae ita accrescere potest, ut fluctuatio perspicue cognoscatur. Deinde pendet tumor praesertim ex quadam in telam cellulosam subcutaneam exsudatione, unde tumor nitidam, rubefactam, tensam oedematis speciem recipit. In articulatione genu fluctuatio frequentissime animadvertitur atque ea saepe tanta, ut omnes hydarthrosis signa praebeat. Potest

ibi etiam valde aucta mobilitas patellae cerni. Quando exsudatum resorbetur, superficies articulationis fibrino deposito asperatae sese fricant et peculiaris nonnunquam frictionis fremitus crepitans oritur.

Tertium symptoma principale est aucta articulationis temperatura, ad quam fortior arteriarum pulsatio et copiosior venarum repletio accedere solent.

Altera symptomatum series comprehendit signa universalia, quo potissimum spectat paene nunquam deficiens febris, quae ab horripilatione exorditur et in casibus tantum lenissimis levis manet. In universum pulsus plus quam nonaginta ictus exhibet saepiusque ad centum et viginti evehitur. Simul pulsus magno est ambitu magnaque tensione et undosus, vel etiam tensione minore. Sitis adaucta, urina e rubro flavens, maioris ponderis specifici, minorem acidi quantitatem continens (Vogel), parca. Lingua integumento albo, subflavo obducta est et appetitus evanuit; neque absunt vomituritio et pertinax alvi obstructio; respiratio nonnihil accelerata est. Simul cutis est ardens (38–40° C.) et mox profuso, admodum acide reagente sudore tegitur, qui quidem non est criticus, sed plures tenet dies, saepe sudamina aut miliariam provocans. Quae molestiae sudore creatae (lintea persaepe mutari oportet) cum intensis doloribus continuis et febri vespere ex-

acerbescente saepe perpetuam insomniam animo patientis perniciosissimam secum ferunt, quam, ut fere fit, magna animi commotio excipit. Praeterea totum corpus crebro mirum quantum macie extabescit, quae ad terminos extremos progressa difficile reficitur. Vidi ipse aegrotum, cuius manus paene solo tumore et rubore articulationum a manibus sceleti differebant.

Ita morbus levioribus in casibus per paucos dies sive hebdomadem, in gravioribus per sexaginta aut septuaginta dies sese protrahit, tum remittens, tum exacerbescens, affectione aut transsiliente ex alio articulo in alium aut singulos semper obtinente, quoad et tumores et dolores sensim deminuuntur et denique prorsus cessant. Hic autem decursus, in quo stadium incrementi et acme et stadium decrementi satis perspicue determinari possunt, formae solum simplici minimeque complicatae proprius est, quae raro inveniatur. Vix enim ulla aegrotatio cum aliis affectionibus tam frequenter complicari mihi videtur, quam rheumatismus articularis acutus. Itaque de praestantioribus complicationibus singulatim agamus.

COMPLICATIONES.

Quam frequenter rheumarthrosis acuta cum aliis malis, praesertim cum cordis morbis complicetur, de eo auctores vehementer dissentiunt. Sic Bouillaud, qui ad complicationum illarum frequentiam primus medicorum animos advertit, duos trientes omnium casuum complicatos tradit, in acerrimis casibus ex septuaginta quattuor sexaginta sex complicatos fuisse addens. Omnium casuum partem fere dimidiam cum cordis inflammationibus complicari Vogel et Budd consentiunt. Lebert statuit 25—30 %, Bamberger modo 14 %. Quae maximae auctorum differentiae haud difficiles fortasse sunt explicatu. Partim enim magnum sane variis conditionibus endemicis pondus tribuendum videtur, partim semper est difficillimum, quin interdum secundum auctoritates impossibile, leviores cordis inflammationes dignoscere, id est, eas ab aliis solius functionis perturbationibus discernere, praesertim si celeriter praetereunt et mutationes per breve modo tempus remanentes relinquunt.

Porro de hac etiam quaestione, utra cordis inflammatio, num endocarditis an pericarditis, complicatio frequentior sit, magna est dissensio. Adeo ambae coniunctae non ita raro reperiuntur. Ex hac frequentia com-

plicationum utique haec summi momenti lex medico practico emanat, ut statim in diagnosi rheumathrosis acutae ad cor etiam animum intendat, idque etiam opera perdita quotidie quam diligentissime exploret.

Quod iam ad singulas pertinet complicationes, prae ceteris tunicae serosae rheumarthrosi acuta petuntur ac praesertim, ut iam supra diximus, endocardium et pericardium, in quae inflammatio rheumatica facillime transfunditur. Quorum quum pathologico-anatomicas commutationes describere ad dissertationem meam non attineat, symptomata tantum, quibus inter decursum nostri morbi manifestari solent, afferam. Quae signa plerumque ad acmen accedunt, ergo pro morbi gravitate aut die septimo aut posterius apparent. Subiectiva symptomata sunt palpitationes, angor pectoris, dyspnoea quorum causa est aucta cordis actio. Hic, si endocarditis adest, fremitus percipiuntur abnormes, qui mutationibus et asperitatibus valvulae mitralis, rarius valvularum aortae excitantur, coniuncti cum sanguinis stagnatione in venis, mutato arteriarum pulsu, ceteris endocarditidis symptomatibus. Si autem pericarditis exstat, in regione cordis maior sensibilitas frictionisque fremitus et pro maiori exsudati quantitate sonus percussionis obsusus reperiuntur.

Aliae complicationes secundariae per cordis affectio-

nes evocantur, ubi e fibrino exsudato vel sanguinis coagulis emboli fiunt, quos pessimum saepissime exitum sequi satis notum puto.

Pleura quoque interdum, quamvis non tam frequenter quam cordis tunicae, inflammationem participat, praesertim quando costarum articulationes rheumarthrosi affectae sunt, et cum pleura pulmo et bronchi. Sed fortasse hi morbi, pleuropneumonia et bronchitis, rectius comites eadem causa, perfrictione, provocati quam complicantes habentur. Sola causa pyaemica ex articulationis sepsi nexus quidam cum pneumonia ceterisque pulmonum affectionibus deduci potest. Haec vero causa, pyaemia, tertiam complicationem rheumarthrosis praestat, eiusque nexus et facilis ortus in casibus acerrimis satis patet.

Nonnullos etiam rheumatisimi comites afferamus, qui quidem omnes rarissime modo simul cum illo observantur. Ex quibus primum angina nominanda, tum renum affectiones, quae e secretionis functione deminuta explicandae interdum perinephritide apparuerunt. Deinde functionis cerebri perturbationes afferuntur (Vogel), quarum cum morbo principali connexus nulla theoria declaratus est. Symptomata maxime consistunt in magnis doloribus lancinantibus capitis, sive utriusque lateris sive alterius, saepe cum galeae aponeuroticae tu-

more iunctis. Accedunt vertigines, aurium susurrus, baryecoia, deliria, proprius carotidum ictus. Sudaminum miliariaeque eruptionem per sudores profusos memoravimus iam in symptomatis describendis. Ibi etiam saepissime angor et proprius cutis pruritus cooriuntur.

DIAGNOSIS.

Quamvis incertissimae maximeque variae sint de natura rheumatismi acuti sententiae, tamen symptomata eius talia sunt, ut morbi imago satis definita, neque cognitu difficilis sit. Quare non saepe accidit, ut in hoc morbo dignoscendo fallamur. Pauci tantummodo sunt casus, in quibus permutatio fieri possit. Huc exempli causa arthrophlogosis referenda est, ex aliis, praecipue traumaticis causis orta, ubi tamen, ut plerumque unam modo articulationem inflammari — id quod in rheumathrosi acuta raro accidit — omittamus, semper aut ex ipsis articulationis mutationibus aut ex anamnesi differentia facillime apparebit.

Maxime fortasse affectio articulationis pyaemica ob majorem numerum locorum inflammatorum cum nostro morbo permutari possit. Sed hic quoque anamnesis et

ante omnia exploratio quam diligentissima certa momenta diagnostica dabunt.

Insuper arthritis acuta, praesertim si articulos, quos non solet, aggressa est, uti digitorum, manus, genu, nonnulla rheumatismo similia habet. Hic imprimis ad aetiologiam respiciendum puto quaerendumque, num forte parentes consanguineique arthritide affecti fuerint, an ipse patiens luxuriose ac molliter vivat, musculis non satis usus. Praeterea cognoscendum, num habitu arthritico sit aegrotus, qui obesitatem, plethoram, diathesin uricam, parvam musculorum energiam comprehendit. Postremo mihi eos, quos dicunt rheumatismos spurios, morbos commemorare liceat. Iis antehac nomen rheumatismo inditum esse iam ineunte hoc libelo monui. Sunt vero hi morbi: irritationes cerebri et medullae spinalis, dolores artuum in typho, variola orti; tum hydrargyri et plumbi usu (rheumatismus metallicus), chinino, valeriana remediis adhibitis excitati; deinde phlebitis periphlebitisque, ruptura musculorum fibrarum nimia eorum contentione effecta, luxationes, fracturae, dolores syphilitici, cetera.

PROGNOSIS.

In lenissimis adeo rheumarthrosis acutae casibus prognosis nunquam summo iure fausta nominari potest. Nam etsi minime exitus letalis medico timendus est, semper tamen aeger morbum acerrimis cum doloribus iunctum patitur, qui praeterea minima exacerbatione characterem insidiosum induere potest per complicationes facillime accedentes.

Per se etiam vehemens incursus rheumarthrosis acutae perraro mortem adducit. Passim modo subitus collapsus et mors advenisse traduntur. Summum semper periculum in cordis morbis complicantibus situm est. His in casibus saepius aegroti subito diem supremum obierunt, quamquam pars eorum multo maior, ex centenis fere nonaginta, rheumatismum ipsum longe superat.

De temporis quoque spatio nostri morbi certum et faustum iudicium non ita saepe fieri potest, quum, exceptis illis casibus paucos modo dies permanentibus, morbus maximam ad recidendum habeat inclinationem et improvisis iniuriis facillime exacerbari possit.

Praeterea affectiones illae inconstantes, ab alia articulatione ad aliam transeuntes et modo remittentes,

modo exacerbescentes, semper malae sunt, quo accedit variabilis qualitas urinae, alias nubilae, alias rubrae, alias flavae.

Signum malum etiam eruptiones sudoris profusi et exanthematis, quod miliaria appellatur, quibus ex symptomatis semper acrior morbi gradus patescit.

Maxime respiciendi sunt maximeque prognosin infaustam reddunt remanentes ex rheumatismo acuto ipso eiusque complicationibus morbi secundarii, quos paucis hoc loco recensere mihi liceat.

Primum persistentes mutationes in articulis correptis existere possunt. Ex exsudatis inflammatorii et magis etiam ex putrida degeneratione condylorum nonnunquam ancyloses aut suppurationes articulationum cum pyaemia complicatae evadunt. Sin autem minores mutationes organicae fuerunt, musculorum ac vaginarum tendinum inflammatione saepe contracturae relinquuntur, quibus extremitatum usus valde comminuitur.

Facile etiam fieri potest ut affectio articulationum acuta in chronicam transeat, retenta quidem intumescentia. Summum autem periculum vitia cordis persistentia secum ferunt, quae frequentissime reperiuntur et secundum characterem suum serpentem lente atque tuto, saepe etiam repente mortem praematuram adducunt. Quorum ex numero ante omnia insufficientiam valvularum

atque imprimis valvulae mitralis memorandam esse arbitror.

CURATIO.

Therapeutica quoque ratione valde dolendum est, quod natuıam rheumatismi non accurate cognitum habemus, quoniam tunc demum rationalis existere potest curatio, si veram affectionis causam satis perspeximus. Itaque hodie partim pauca quae novimus aetiologica respicientes, partim observationes empiricas sequentes, praecipue autem symptomatis obsecundantes mederi nos oportet.

Quod de prophylaxi dicendum, id per se intelligitur. Scilicet regiones humidae eaeque, in quibus celeriter temperatura aut ventis aut pluviis variatur, fugiendae, sicuti vestimentis occupationibusque eligendis perfrictio quam plurimum arcenda.

Nec magis indicatio causalis, aliis illa quidem in morbis maxime respicienda, hic nos ducere potest. Nam si perfrictio, praeter quam nulla certa innotuit causa, si perfrictio, inquam, exstat, id est, si sequelis suis, ipso morbo manifestatur, profecto fieri non potest, ut haec causa adhuc praecidatur aut infecta fiat. Theorias autem auctorum quam maxime varias specialiter sequi

atque proinde therapiam instituere, multis in casibus experientia deficiente temerarium videatur.

Cura symptomatica adversus duas potissimum res dirigitur, nempe adversus signa localia et adversus affectionem organismi universi.

Simplicissima et spectata articulationum dolores mitigandi ratio constat involutione in lanam, stuppam aut, id quod plurimum adhibetur, in telam gossypinam, quibuscum forsitan lenis vinctura compressiva apte coniungitur. Tela gossypina, quae nuper et ad alias inflammationes externas sanandas, ut in vulneribus, magno cum commodo adhibetur, hoc quoque in casu vim refrigerandi praestat eoque dolorem tolerabiliorem reddit. Praeterea patientes ne iterum perfrictionem contrahant, monendos esse liquet.

Multo minor aegrorum numerus siccae involutionis loco cataplasmata sustinent, quia apud multos humore morbus exacerbatur. Saepissime aquae sal quoddam medium adiicitur (kali nitricum), quod generatim valde secundos cataplasmatum effectus augere dicitur.

Sanguinis detractiones per cucurbitarum cruentarum applicationem ad articulationes, quas Bouillaud usque ad uncias sedecim fecit, multo minus profuerunt et praeterea etiam propter patientium debilitationem vitandae sunt, nisi acerrima articulationis inflammatione indicen-

tur. Doloribus articuli maxime intensis etiam infrictiones chlorureti elayli (Wunderlich auctore ad drachmam) vel chloroformii instillationes multum conduxerunt.

Iam ad remedia interna enarranda nos vertamus, ubi sanguinis depletiones universales locum primum tenent. Hac ducti opinione, vim intensam adhibendam esse, ut mutata materiarum vicissitudo, quae etiam causa rheumatismi censetur, in integrum restituatur, medici Francogallici ac praecipue Bouillaud enormes sanguinis detractiones proposuerunt. Posterior eo usque processit, ut paucis diebus adeo decem libras sanguinis corpori detraheret; quin etiam hac ratione semper celerem morbi decursum se observasse, neque patientem ullum occubuisse contendit. Hanc methodum alii auctores, et ipsi eam adhibentes, non tam probabilem invenerunt, ita ut nunc iis modo in casibus venaesectionem facere soleamus, ubi plethora et plenus pulsus fortis aut adeo congestiones et dyspnoea eam postulant. Alias enormis illa sanguinis iactura perniciosissima erat.

Praeterea item medici Francogallici praeceperunt atque experimentis approbare tentarunt, inflammationem febremque maximis kali et natri nitrici dosibus mitigari. Sane salibus illis mediis eum effectum summo iure concedendum esse constat, ut corporis calorem retardanda fibrini depositione refrigerent atque ita inflam-

mationis signa compescant. At Francogalli, ut solent, modum excesserunt et quotidie unam, duas aut tres kali nitrici uncias cum necessaria aqua diluente infundentes eandem patienti levationem parabant, dum gravem dyspepsiam simul magnamque virium depressionem adducebant, quam minoribus dosibus sine ulla mala sequela parare potuissent. Lebert igitur unciam dimidiam dosin maximam esse debere contendit, atque ipse in clinico Cel. Traube minores etiam quantitates (drachmas duas) cum sufficiente refrigerationis effectu dari observavi.

Briquet, item Francogallus, ad aliud remedium heroicum refugit et usque ad drachmam dimidiam chinini sulphurici aegrotis porrexit, ita ut iam narcosi chinini exponerentur. Quo omisso periculo chininum etiam laudatum effectum non habet, ut rheumatismum praecidat et spatium eius magnopere deminuat. Posterioribus in stadiis, in quibus patiens iam multo magis afflictus confectusque est, certissime spectatam vim suam tonicam roborantemque nunquam negabit, neque doses minores usurpantibus.

Narcotica chinini proprietas, cui ante omnia facultas rheumatismum praecidendi adiudicabatur, multo melioribus, neque ita periculosis remediis aliis compensari potest. Ex quibus maxime laudantur opium et aconi-

tum. Etiamsi quidem non iam, ut antea, remedia narcotica specifica contra rheumatismum articulorum acutum habentur, tamen id afferunt maximum commodum, ut dolores mitigando morbum tolerabiliorem reddant, quo effectu eorum usus satis superque confirmatus mihi videtur. Ordinantur remedia narcotia dosibus maioribus, crebro cum colchico, nitro et kali iodato iuncta.

Hoc loco etiam tartari stibiati dosibus majoribus praescripti mentionem faciamus, quod remedium contra rheumatismum articulorum acutum frequentissime commendatur. Tametsi etiam sanguinis impetum in vasa coercet talique ratione in remediis antiphlogisticis ducendus est, tamen non probabilis est, quum nauseam cum vomitu moveat et praecipue diarrhoeam, quae patientibus propter dolores immobilibus incommodo est maximo. Ergo his modo in casibus, ubi vomitus, diarrhoea, maior expectoratio indicata sunt, iure commendari potest.

Loco colchici superioribus temporibus maxime laudati nunc a nonnullis medicis veratrinum impenditur, ex quibus prae ceteris Vogt eius effectus collaudat, hoc remedio rheumatismum articularem acutum praecidi posse dicens. Orsus a decima grani parte usque ad granum dimidium pilulis quinque quotidie exhibendum paullatim adscendit.

Praeterea medici nonnulli Anglici (Rees, Perkins) magnopere succi citri recenter expressi effectus praedicarunt, quem dosibus ad unciam dimidiam in dies ordinabant. Eorum auctoritate commotus Lebert quoque experimenta huius remedii fecit, sed quantitatem usque ad uncias sex quotidie auxit. Talem successum succum illum citri habere contendit, qualis sit natri nitrici et tartari stibiati et maiorem etiam, quippe dicit, succo citri ad curationem adhibendo tempus morbi quinque aut sex diebus plus deminui quam natro nitrico, et doloribus superatis convalescentiam multo celerius apparere. Itaque hoc therapiae genus propter simplicitatem et minores sumtus, et quia ab omnibus patientibus bene libenterque perfertur, multis aliis longe praeferendum.

Nuperrime Berolini in clinico Ill. Frerichs praecipue kali iodatum solum fere remedium contra rheumatismum articulorum acutum probatum est et cum mirabili quidem tam ad spatium quam ad decursum morbi effectu. Solutionibus drachmae unius ad uncias sex propinatur atque optime toleratur. Quare haud dubito, quin amplius etiam in usum vocetur, si is magis innotuerit.

Id autem maxime nobis etiamnunc dolendum est, quod ex iis, quae retuli remediis medelisque, neque ex iis, qui praeterea laudantur, nullum id efficere potuit, ut maxime timendae complicationes cum cordis alio-

rumve organorum morbis prohiberentur, et quod maxime variis medelis mors inexspectata, rara ea quidem et ex intoxicatione cerebrali suspensa, ingruere potest. Unde egregie elucet, minime remedium antirrheumaticum specificum vel plurimis factis experimentis iam repertum esse, quod nobis veram morbi naturam adhuc ignorantibus permultum prodesset.

Ad complicationes sanandas pro speciali utique earum proprietate etiam propriae curationes adhibendae sunt, quarum varia medicamenta methodosque exponere hic nihil attinet.

VITA.

Gustavus Adolphus Preyss, fidei evangelicae addictus, die XXX mensis Iunii anni h. s. XXXVIII Kettwigae, in oppido Rhenano, natus sum patre Friderico Carolo, matre Alwina de gente Scheidt, quos ambos mihi morte praematura ereptos maxime lugeo.

Primis litterarum elementis imbutus frequentavi gymnasium Bonnense directore Cel. Schopen et exinde Duisburgense directore Dr. Eichhoff. Tempore auctumnali anni h. s. LVII testimonio maturitatis academicae ornatus almam litterarum universitatem Iuliam Maximilianam Herbipolitanam adii, ubi ab Ill. Hoffmann, rectore magnifico, receptus quatuor per semestria litteras medicas tractavi.

Postea in almam litterarum universitatem Fridericam Guilelmam Berolinensem me contuli, ubi ab Ill. Boeckh, rectore magnifico, inter cives academicos receptus et ab Ill. Ehrenberg, decano ordinis medici spectatissimo, in album medicum inscriptus sum.

Per quadriennium horum virorum Illustrissimorum, Celeberrimorum, Experientissimorum scholas frequentavi

Herbipoli:

Ill. Koelliker de anatomia corporis humani, de physiologia, qui idem mihi dux fuit per duo semestria in cadaveribus rite secandis, sicut in cursu histiologiae normalis practico;

Ill. Mueller de osteologia et syndesmologia;

Ill. Leiblein de zoologia;

Ill. Schenk de botanice;

Cel. Schwarzenbach de materia medica, de physice, quo eodem duce usus sum in exercitationibus chemicis analyticis;

Ill. Scherer de chemia anorganica, de chemia organica;

Exp. Roth de auscultatione et percussione;

Cel. Schmidt mihi dux fuit in cursu artis obstetriciae practico.

Berolini disserentes audivi:

Cel. Althaus de logice;

Ill. G. Rose de mineralogia;

Exp. Helfferich de anthropologia et psychologia;

Cel. Henoch de pathologia et therapia speciali;

Ill. Virchow de anatomia pathologia, de morbis congenitis;

Exp. Friedberg de chirurgia;

Cel. de Baerensprung de morbis syphiliticis, de febribus exanthematicis;

Ill. Reichert de embryologiae partibus;

Cel. Schoeller de arte obstetricia;

Exp. Ebert de morbis infantilibus;

Ill. Casper de medicina forensi.

Scholas clinicas frequentavi medicas, chirurgicas, obstetricias Cel. Traube, Ill. Langenbeck, Cel. Schoeller.

Quibus viris omnibus, de me optime meritis, gratias ago semperque habebo quam maximas.

Iam tentaminibus tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis fore spero, ut hac dissertatione cum adiectis thesibus palam defensa summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Externa iodi applicatio, si ab eius tinctura discedis, inutilis est.
2. Dictum illud, ubi febris intermittens adsit, abesse tuberculosin, falsum est.
3. Remedia specifica magis magisque restringenda sunt.
4. Foetum vivum perforare non licet.
5. Discernere debemus arthritidem et rheumatismum.